



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Qua ratione excitandi sint auditores ad misericordiam. Cap. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

suscipite; quoniam & in camino fert opem, & in leonum lacu custodit, demones fugat, & Dei reuocat sententiam, scelerum furorem reprimat, et in veram libertatem vindicat, summamq; pacem et tranquillitatē affert. Quod si Deus hominē à principio condēs in Paradiso, eum ieiunij lege voluit cohibere, cum dixit: de omni ligno paradisi comede, de ligno autē scientiæ boni & mali, nè comedas; multo magis illud extra paradysum necessarium dicendum est: si ante plagā vilis medicina fuerat, multo magis post plagam. si nondum bello voluptatum insurgente nobis arma fuerant opportuna, multo magis post voluptatum, vitiorumq; prælium, à demonibus nobis illatum: & sermonem concludens, ostendat necessario nobis bene viuendum, à ieiunio auxilium esse petendum. quam vocem si Adam, communis generis humani parens, et calamitatis humane author, audiuisset, nequaquam illam secundam audiuisset: Terra es, & in terram reuertèris.

Qua ratione excitandi sint auditores ad misericordiam. Cap. XVI.

DOLORIS species, est misericordia, qua nascitur ex miseria alterius, iniuria laborantis. quo loco tacitè Christianus orator obiectioni respondeat, si quis duritiem cordis sui, ità defendat; quòd qui inopia & calamitate premuntur, ea miseria digni sunt: tunc per increpationem dicat; neminē non esse multis peccatis obnoxium, eos qui huiusmodi voces proferunt, maximè peccare, cum ipsi misericordia egentes, Dei parte sibi assumant. S. Gregorius Nazianzenus ad hanc virtutem populū excitans,
in ex-

in exordio orationis de amandis pauperibus, auditores omnes appellat pauperes, & egentes gratia Dei: & S. Chrysostomus sermonem scripsit, quo ostendit, curiosè nō esse scrutandum, boni an mali sint pauperes. quod cū optimus quidam vir animaduertisset, dicere consueuerat, se aliquanto libentiùs prauis hominibus eleemosynas largiri, si fortè ea ratioe eo beneficio, quo, teste conscientia, se indignos agnoscunt, dent gloriā Deo, & ad pœnitentiam erudiantur. Multa sanctorum patrum leguntur orationes de eleemosyna, in quibus præclaræ cohortationes reperiuntur. Locorum aut hæc est summa, omnes esse pauperes, omnes egere misericordia Dei, solos tamen illos esse miseros, qui carent misericordia: artem quaestuosissimam esse eleemosynam, misericordia filiam, licitam & sanctam quandam fœnerationem, distributionem pecuniarum in pauperes: diuites auaros esse, fraudatores, raptores: quo quis plures habet filios, eo diligentius eleemosynis ei inuigilandum; ut propitium Deum eis efficiat, ut S. scribit Cyprianus. illud etiam B. Ambrosii est inculcandum: Non pauisti, occidisti: et illud repetendum, mandasse Dominū unicuiq; de proximo suo: eius esse terram, & plenitudinem eius, orbem terrarum, & vniuersos, qui habitāt in eo; diuites esse dispensatores diuitiarum Dei; eleemosynam peccatum extinguere, maximum esse beneficium, ut inquit Cyprianus, tam salutare, & tā facile nobis relictum remedium.

Quomodò excitanda sit misericordia erga mortuos. Cap. XVII.

MIRABILES etiam sunt quidam mortui, nimirum illi, qui in Purgatorio degunt: quorum sordes,